

## Žalmy

**21** <sup>1</sup> In finem, pro susceptione matutina. Psalmus David.

<sup>2</sup> Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti ?  
longe a salute mea verba delictorum meorum.

<sup>3</sup> Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies ;  
et nocte, et non ad insipientiam mihi.

<sup>4</sup> Tu autem in sancto habitas, laus Israël.

<sup>5</sup> In te speraverunt patres nostri ;  
speraverunt, et liberasti eos.

<sup>6</sup> Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt ;  
in te speraverunt, et non sunt confusi.

<sup>7</sup> Ego autem sum vermis, et non homo ;  
opprobrium hominum, et abjectio plebis.

<sup>8</sup> Omnes videntes me deriserunt me ;  
locuti sunt labiis, et moverunt caput.

<sup>9</sup> Speravit in Domino, eripiat eum :  
salvum faciat eum, quoniam vult eum.

<sup>10</sup> Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre,  
spes mea ab uberibus matris meæ.

<sup>11</sup> In te projectus sum ex utero ;  
de ventre matris meæ Deus meus es tu :

<sup>12</sup> ne discesseris a me,  
quoniam tribulatio proxima est,  
quoniam non est qui adjuvet.

<sup>13</sup> Circumdederunt me vituli multi ;  
tauri pingues obsederunt me.

<sup>14</sup> Aperuerunt super me os suum,  
sicut leo rapiens et rugiens.

<sup>15</sup> Sicut aqua effusus sum,  
et dispersa sunt omnia ossa mea :  
factum est cor meum tamquam cera liquecens in medio ventris mei.

<sup>16</sup> Aruit tamquam testa virtus mea,  
et lingua mea adhæsit faucibus meis :  
et in pulverem mortis deduxisti me.

<sup>17</sup> Quoniam circumdederunt me canes multi ;  
concilium malignantium obsedit me.  
Foderunt manus meas et pedes meos ;  
<sup>18</sup> dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.

<sup>19</sup> Diviserunt sibi vestimenta mea,  
et super vestem meam miserunt sortem.

<sup>20</sup> Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me ;  
ad defensionem meam conspice.

<sup>21</sup> Erue a framea, Deus, animam meam,  
et de manu canis unicam meam.

<sup>22</sup> Salva me ex ore leonis,  
et a cornibus unicornium humilitatem meam.

<sup>23</sup> Narrabo nomen tuum fratribus meis ;  
in medio ecclesiæ laudabo te.

<sup>24</sup> Qui timetis Dominum, laudate eum ;  
universum semen Jacob, glorificate eum.

<sup>25</sup> Timeat eum omne semen Israël,  
quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis,  
nec avertit faciem suam a me :  
et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

<sup>26</sup> Apud te laus mea in ecclesia magna ;  
vota mea reddam in conspectu timentium eum.

<sup>27</sup> Edent pauperes, et saturabuntur,  
et laudabunt Dominum qui requirunt eum :  
vivent corda eorum in sæculum sæculi.

<sup>28</sup> Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ ;  
et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium :

<sup>29</sup> quoniam Domini est regnum,  
et ipse dominabitur gentium.

<sup>30</sup> Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ ;  
in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

<sup>31</sup> Et anima mea illi vivet ;  
et semen meum serviet ipsi.

<sup>32</sup> Annuntiabitur Domino generatio ventura ;  
et annuntiabunt cæli justitiam ejus  
populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

## 109 <sup>1</sup> Psalmus David.

Dixit Dominus Domino meo :  
Sede a dextris meis,  
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

<sup>2</sup> Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion :  
dominare in medio inimicorum tuorum.

<sup>3</sup> Tecum principium in die virtutis tuæ

in splendoribus sanctorum :  
ex utero, ante luciferum, genui te.  
<sup>4</sup> Juravit Dominus, et non pœnitabit eum :  
Tu es sacerdos in æternum  
secundum ordinem Melchisedech.  
<sup>5</sup> Dominus a dextris tuis ;  
confregit in die iræ suæ reges.  
<sup>6</sup> Judicabit in nationibus, implebit ruinas ;  
conquassabit capita in terra multorum.  
<sup>7</sup> De torrente in via bibet ;  
propterea exalabit caput.

Hudební zpracování:<sup>1</sup>

<https://www.youtube.com/watch?v=H7QbViCuGfU&t=759s> (W.A. Mozart, Jakub Lédl gratia)

<https://www.youtube.com/watch?v=Dftr7RzmXUs> (D. Ortiz)

<https://www.youtube.com/watch?v=d8RsulZdQZY> (G. F. Händel)

## A nějaká ta Apokalypsa

**6** <sup>1</sup> Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tamquam vocem tonitruī : Veni, et vide. <sup>2</sup> Et vidi : et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. <sup>3</sup> Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni, et vide. <sup>4</sup> Et exivit alias equus rufus : et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus. <sup>5</sup> Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger : et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. <sup>6</sup> Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario et tres bilibres hordei denario, et vinum, et oleum ne læseris. <sup>7</sup> Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. <sup>8</sup> Et ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. <sup>9</sup> Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interactorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant : <sup>10</sup> et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo Domine (sanctus et verus), non

---

<sup>1</sup> Poslouchat to samozřejmě nemusíte, zkoušet z toho nebudu ☺

judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ? <sup>11</sup> Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. <sup>12</sup> Et vidi cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræmotus magnus factus est, et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus : et luna tota facta est sicut sanguis : <sup>13</sup> et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur : <sup>14</sup> et cælum recessit sicut liber involutus : et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt : <sup>15</sup> et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium : <sup>16</sup> et dicunt montibus, et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : <sup>17</sup> quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare ?<sup>2</sup>



---

<sup>2</sup> Kdo pozná autora vyobrazení, bude pochválen před nastoupenou jednotkou.